





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.



14.  
73

*IN HONOREM*  
**ORNATISSIMI**  
**IUVENIS, PIETATE**  
ET DOCTRINA SINGVLARI,  
moribusq; venustis præditi, Dn. DANIELIS  
BERGERI, ciuis Damasceni: celebrantis nu-  
ptias cum honestissima puella ANNA HV-  
BENERA: reuerendi viri, Dn. ADRIANI  
HVBENERI, Ecclesiæ Schilden-  
sis Pastoris, filia,

*CARMINA CONSCRIPTA*  
*AB AMICIS.*

Distichon complectens annum, mensem,  
ac diem nuptiarum.

*LVX Vt nona fuit Mall bis, Vt InsVper Vna,*  
*ConVncta est IUVENI CVLta pVella VIro.*

*VVITEBERGÆ*  
*Excudebant heredes Iohannis Cratonis,*  
*ANNO M. D. LXXIX.*

e



## EPITHALAMION.

**E**ST extra noxam, summis est laudi-  
bus aptum,  
Quicquid constituit dextera larga  
DEI.

Tum res illa placet superis, ubi cœlica nobis  
Turba ministerium præstat amica suum.  
Condidit uxorem tenera de carne mariti,  
Cum faceret mundi splendida tecta, DEVS.  
Hancq; viro iungens socialis fœdere lecti,  
Ambos vnanimi viuere mente iubet.  
Scilicet, hinc gratum sibi vult producere semen,  
A quo diuinus concelebretur honos.  
Scilicet, hinc voluit sacros succrescere cœtus,  
Explicuisse DEI qui sacra iussa queant.  
Cœlestes itidem legimus persæpe cohortes,  
Adiuuisse noui iura probata thori.  
Angelus Isaco Labani ducit alumnam,  
Angelus uxorem datq; Tobia tibi.  
Quin etiam Christum tædas decorare iugales  
Non pudet, at sponsi tecta vocatus adit.  
Atq; inopes ornat precioso munere sponfos,  
Dum tenues vndas dulcia vina facit.  
Vnde satis constat, quòd coniugalia sacra  
Cœlitibus placeant, complaceantq; DEO.

Lectus



Lectulus ille igitur merito seruetur honore,  
In quo concordēs fœmina, virq̄ cubant.  
Non etenim, vt Genio quis frena repressa relaxet,  
Sunt matronalis iura petenda thori:  
Verùm vt nascantur nati, seriq̄ nepotes,  
Qui celebrent sancti nomina sancta DEI.  
Nil hîc Euripidis valeat sententia, quando  
Sacrilegis profert talia verba sonis:  
Maximus ille fuit peccati fautor & autor,  
Quisquis fœmineum fecit in orbe genus.  
Dij prohibete nefas, Dij ne permittite, vt in vos  
Tot probra, tot risus, impia turba serat.  
Nil etiam moueat nos, qui meliora videmus  
Secula, quid vates Thurius ille canat.  
Ille quidem mauult miser ac infamis haberi,  
Quàm sociæ tædæ debita iura sequi.  
Namq; ait: O quoties tecum rixabitur vxor,  
Si forsā fuerit sors inimica tibi:  
Quod si diues eris, positus in fœnore nummis,  
Tunc erit exitij causa, caputq; tui.  
O infame pecus, Quæ te dementia cepit?  
Deformas blandum cur malè sane gregem?  
Cur ita fœmineum contemnis perfide sexum?  
Audes cum laribus bella mouere tuis?  
Dij meliora ferant: Tu pondus inutile terræ  
Semper es infelix & ratione cares.

A 2

Tu



Tu quaecunq; Dei vox & lex sancijt ipsa,  
Humani causam dixeris esse mali?  
Qua ratione potes rebus conferre malignis,  
Vnde venit rebus certa medela malis?  
Et licet interdum sit idem quoq; causa doloris,  
Gratius hoc fieri cum ratione potest.  
**E**Rgo serit nugas, spargit mendacia verba,  
Quisquis coniugium dixerit esse malum:  
Namq; studet verae pietatis tollere cultum,  
Et cupit, vt primas caeca libido ferat.  
**T**V verò, noue sponse, tuum ceptum impiger vrge,  
Quod certò statuas complacuisse DEO.  
Ne dubites, quin ille tuos sine fine labores,  
Vt solet, immensa pro bonitate beet.  
Nam quaecunq; DEO mandante quis incipit, illa  
Multiplices fructus numine dante ferunt.  
Ipse viro sociam meliore ex parte creauit,  
Iussit & vnanimi ducere corde dies.  
Scilicet, hinc superis acceptum pullulat agmen,  
Hinc nobis soboles, posteritasq; venit.  
Ergo thori sociam quisquis florentibus annis,  
Inquirat licita conditione sibi:  
Ille suis ponit tranquilla exordia rebus,  
Et pellit vitæ tædia longa suæ.  
Sicut enim fugiens hostem tener agnus oberrat,  
Ni cane, ni septi tegmine cinctus erit:

Sic



Sic etiam cœlebs in carne vagatur & errat,  
Ni socij thalami iura sacrata colet,  
Ceu contrà felix ille est, cui contigit vxor,  
Corporis atq; animi condecorata bonis.  
Fœmina namq; viro concessos duplicat annos,  
Si sit cum forma culta timore DEI.  
Extollit sapiens mulier super astra maritum,  
In medio quoties verba dat orbe senum.  
Ergo tuis rebus DANIEL gratare, manuq;  
Prende vtraq; bonum, quod DEVS ipse dedit.  
Hæc genitore pio est sata, qui sacra cœlica Christi  
Discipulos docuit tempora longa suos.  
Hæc tibi, multorum votis optata procorum,  
Egregio vultu conspicienda venit.  
Aspice: ceu radijs superat Sol aureus astra  
Cætera, perpetuo quæ polus orbe vehit:  
Sic inter reliquas etiam tua sponsa puellas,  
Eximijs formæ dotibus aucta nitet.  
Quid mora? cur cessas? ô sponse amplectere sponsam,  
Hancq; foue blando blandior ipse sinu.  
Atq; vbi reddideris summo tua vota parenti,  
Sis, qualem sanctum conuenit esse virum:  
Et citò obumbrabit thalamum fors cœlica vestrum,  
Vt crescant nati, posteritasq; tibi.  
Terribili facie ne te præbeto videndum  
His, tua quos meritò cingit, alitq; domus.

Sim.

Sic



*Simplicitate domum facili moderare, nec unquam  
In te virtutes colligat ira suas.*

*Sic erit ad Domini nutus & iussa paratum  
Vulgus, & inceptum continuabit opus.*

*Te quoque sponsa, decet sancte parere marito,  
Quem cole ceu Dominum pectore & ore tuum.*

*Coniugiumque DEVS vestrum moderabitur, ipse  
Inceptis tribuet prospera vela pijs.*

*Scilicet, ut placida ducatis tempora vite,  
Seruantes facili dexteritate domum.*

*Amborumque genus longos pertingat ad annos,  
Christicolaeque gregi commoda multa ferat.*

*Dispereant, quicumque novos hos inter amantes  
Iurgia cum rixis, dissidiumque volunt.*

## VOTVM EX CAPITE

### IX. TOBIAE.

*Ω τικέων παῖδες φίλοι ὁσεβέων τε καλῶν τε,  
ὕμῃν ὀλογίας νῦν διδόντω ὁ θεός.  
ὥστε καὶ ὑμετέρης μάκαρες ὄντ' παῖδας ὀρεῖτε,  
κασμῆντας τίμιον τῆνομι ἄγνοιο θεῶ.  
ὕμῶν ὀψιγόνους ὀφημισίῳ ἐκένθη,  
ὄστις παντοκράτωρ εἰς αἰῶνα μέγας.*

*Matthias Zeiss Pirnensis.*



## SPONSVS ORANS.

**O** *Æterne DEVS, cœli terræq; creator,  
Et rerum, quas nunc totus hic orbis habet.  
Nostra quòd ingenuum fudisti in corda calorem,  
Te cano, te merita laude per astra veho.  
Nunc scio, quòd fuerint tibi grata precantia verba,  
Et posthac pondus sint habitura suum.  
Scilicet, vt flammam nostro sub corde citatam,  
Perpetuò serues numine, alasq; tuo.  
Nam quæcunq; graui viuunt in pondere terræ,  
Sunt matronali consociata iugo.  
Hac ratione tuum populum tibi colligis, & sic  
Plena facis summi splendida tecta poli.  
Huc ades, huc celera DEVS, & nos ipse gubernas,  
Huc ades, & ceptum iure tuere tuum.  
Quæso, fac ardentis perstent incendia amoris,  
Ab DEVS, hæc lingua suscipe vota mea.  
Da mihi, quod reliquis etiam das vsq; maritis,  
Qui non fucata te pietate colunt.  
Ne chorus angelicus nostris discedat ab aruis,  
Verùm agat excubias hic & vbiq; suas.  
Da mea mens etiam præsentis in sorte quiescat,  
Sive ea sit facilis, sive sit illa grauis.  
Fac vt perpetuæ tibi sint mea tempora laudi,  
Vtq; tua grates pro bonitate canam.*

SPON-



SPONSA ORANS. 92

**O** *Æterne DEVS, thalami fidissime custos,  
Ad mea quæ facio vota benignus ades,  
Tolle precor pavidum tristi de corde timorem,  
Qui nostrum sexum sollicitare solet.  
Languida non rarò subijt mea pectora cura hæc,  
Quonam vita mihi sit peragenda modo.  
Num mallem sociata viro traducere tempus,  
Cælibe num tristis sola iacere thoro.  
Hanc mihi nunc adimis curam, hoc me fasce leuando,  
Dum tradit sponsum mi tua dextra meum.  
Huc ades, atq; nouum vitæ genus hocce tuere,  
Quod me nunc licita conditione iuuat.  
Fac tali ratione meam me degere vitam,  
Vt solum vera te pietate colam.  
Sinceroq; nouum complectar amore maritum,  
Et verear merito semper honore, meum.  
Quod si forte etiam contingent pignora nobis,  
Tum tibi sit curæ turba tenella DEVS.  
Tu nostrum defende thorum, hos seruato penates,  
,, Nam tutum, quicquid protegis, vsq; manet.*

*Casparus Hubenerus Schildensis  
frater sponsæ.*



Nov 1996

8

ULB Halle 3  
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17


M











14  
13

*IN HONOREM*  
**ORNATISSIMI**  
**IUVENIS, PIETATE**  
ET DOCTRINA SINGVLARI,  
moribusq; venustis præditi, Dn. DANIELIS  
BERGERI, ciuis Damasceni: celebrantis nu-  
ptias cum honestissima puella ANNA HV-  
BENERA; reuerendi viri, Dn. ADRIANI  
HVBENERI, Ecclesiæ Schilden-  
sis Pastoris, filia.

*CARMINA CONSCRIPTA*  
*AB AMICIS.*

Distichon complectens annum, mensẽ,  
ac diem nuptiarum.

*LVX Vt nona fvlt Mall bis, Vt InsVper Vna,*  
*ConIVncta est IUVENI CVLta pVella VIro.*

*VVITEBERGÆ*  
*Excudebant heredes Iohannis Cratonis,*  
*ANNO M. D. LXXIX.*

